

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

15
74

EPITHALAMION

DOCTISSI-
MO VIRO D. AN-
DREAE KRAVS, REI-
PVBlicAE SERVESTANAE
NOTARIO PVBLICO, ET HO-
nestissimae virgini MARGARETHAE,
prudentissimi viri D. AMBROSII
SPECHT, pia memoriae, filiae, Servestae
celebrantibus nuptias 27 die Iu-
lij, Anno 1579.

scriptum à

IOACHIMO VVORMLITZIO
Scholae Servestanae ad S. Nicolaum
Conrectore.



VITEBERGAE

Excusum Typis Simonis Gronenbergii.



Homerus Odysß. 6.

Σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖν ὅσα φρεσὶ σῆσι μενοινᾶς,
— Ἄνδρά τε καὶ οἶκον καὶ ὁμοφροσύνην ὀπίσσειαρ
ἔσθλιν. ὅς μιν γὰρ τῶ γε κρείσσον καὶ ἄρειον
— ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντι νοήμασιν οἶκον ἔχητερ,
Ἀλλ' ἢ δε γωὴ. πόλλ' ἄλγεια δυσμενέεσσι
— χάσματ' αὖ εὐμενέεσσι. μάλιστ' αὖ τ' ἔκλυον αὐτοῖ.

EPITHALAMION

Evoco, vere *DEVS* casti *DEVS* autor
(amoris,
Vt thalami firmes foedera parta novi:
Ceu dignatus eras sacras invisere tædas,
Quâ stetit irrigua cana palustris humo:
Quando sacras miro decorabas munere mensas,
Ex liquidis faciens nobile nectar aquis.

Mirantur multi, num sint fatalia rerum
Cuncta, aut natura sic agitante, cadant.
Non solum, fieri rebus si quando videmus,
Naturæ insolitum, quod ratione caret.
Verum cernentes, quæ sit ferventis amoris
Conditio, foedus qui sociale facit.
Scilicet ignotis, cur sæpè locoq; remotis,
Mutuus & felix concilietur Amor;

Nonnulli, Pharetram, tensosq; Cupidinis arcus,
Commemorant flammæ suppeditare novas,
Quas mater Cytheræa potest immittere, tactu,
Incautis iuvenum cordibus, apposito.
Hoc etiam citius comprehendit flamma medullas,
Quò maior fomes conditus antè fuit.

Post alij reputant, quòd aperto lumine vultus
Vires in cæco pectore sumat amor.

Scilicet ex oculis, radij, de corpore bino,
Cùm coeunt, aliqua se duplicantq; mora,
Dumq; repercussi redeunt, penetralia motu
Intima flagranti pectoris inde movent.
Hinc coit unus amor, gemino qui corde quiescit,
Sed nequit ignotus delituisse diu.
Verùm prorumpit tandem, ceu fumus ab igni,
Donec in amplexus desinat ille pares.

Sunt, qui divitias, & inania nomina dotis, (mus.
Aut captant formam, aut nobile stemma do

Quis neget has causas verè esse iugalis amoris?
Crede, subit multis sic, celer hospes, amor.
Sed benè si pensas, trutinaq; expendis in æqua,
Christicolis nullum pondus habere, scias,
Vana Poëtarum valeant figmenta, iociq;
Quidve Venus faciat, quid Venerisq; puer.
Est aliquid (fateor) liquidis se prodere ocellis,
Sed multos morbum dissimulare decet.
Et tamen ignotis cùm nulla Cupido supersit,
Sæpè oculi primo sunt in amore duces.
Nec strictè causam radiorum in lumine ponas,
Horum mixtura quòd generetur amor.
Imperij procerum nam sæpè exempla refutant,
Quos vel ne visam ducere iussit amor.

Cùm

Cùm tabulæ saltem simulacra dedere puellæ,
 Qui ve subest niveo lenis in ore rubor,
Vnde parum quisquam renitentes sensit ocellos,
 Virginis immotæ picta tabella stetit,
Ac aliud quid de tali mihi dixeris ignis:
 Quàm procul ex oculis, tam procul ibis Amor.
Sic solet impuros oculorum figere nutus
 Scortum, cùm spurctis viscera torret Amor.
Heu mihi, quàm multos videas sic ludere ocellis,
 Et spurcas flammæ prode contuitur:
Est vagus, impurus, levis & temerarius ardor,
 Lumina cùm radios orbe micante rotant.
Divitiæ si concilient in pectore amorem,
 Non est fatalis, sed fatualis amor. (*DIVES,*
INTOLERABILIVS NIHIL EST QUAM FOEMINA
Coniugis imperium vendit amator opum,
Et generi, & fragili magna inconstantia formæ
 Instabile ac anceps est iuvenile decus. (*est,*
Disce igitur, verus qui sit certi autor amoris,
 Cùm sua non habeant pondera, dicta modò.
Omnipotens solus, Deus est, mēs casta, ministrās
 Aequales flatu cordibus ipse faces,
Iugera, prata, domus possunt conferre parentes,
 Vxor at à domino sola pudica venit,
Non tamen è cœlo Dominus tibi proijcit alto,
 Sicut Adæ est olim prima virago data:
Sed precibus poscenda sacris noctesq; diesq;
 Quæ tibi conveniat, monstret ut ipse Deus.

Cum qua, si bona sunt, communia gaudia ducas,
Tempora, sin mala, sit luctus utriusq; simul,
Præcipuè à teneris pietati assueta, tuum cor
Exhilaret, vivens moribus apta tuis.
Invenit uxorem talem quicumq; maritus,
Hauriet à *CHRISTO* gaudia summa Deo.
Nam quoties fluctus, & mille pericla fatigant,
In firmo semper poplite stare potest.
Ossa velut totum sustentant omnia corpus,
Multas vel vites sustinet una fudes:
Alter in alterius complexu sustinet unus
Sic se cordis Amor; fallere qui nequeat.

Est tibi notus amor, quæ Guelpho præstitit uxor,
Thesaurum carum tollere iussa suum.
Impositum dorso gessit per castra maritum,
Thesaurus, dixit, maximus ille meus.
Vera fides fuit ista fides, in coniuge lucens,
Cum costam propriam propria costa tulit.
Nō secus Halcyone prope dulces anxia lymphas
Fert Ceyca senem, sedet ut inde sitim.
Spiritus ergò Dei solus connectit amantes,
Vivere concordēs qui modò cunq; velint.
Hinc procul ito Venus, procul ito Cupido pro
(terve,
Nil mihi vobiscum, ludite vos alios.

Hæc

Hæc Crispine tibi non sunt ignota, sed olim
V sibus edoctus iam meminisse potes.
Aspice, quanta Dei bonitas tibi sponse resurgat,
Pro lacrymis tribuens gaudia summa tuis.
Tristia mœroris viduus quia signa dedisti
Plus fatis, ob mortem coniugis ante tuæ;
Et iam cùm tædæ celebrandæ tempus adesset,
Mors tibi filiolum præripit ante diem.
Vnde novus dolor exoritur, tædasq; retardat,
Sic semper curis gaudia mixta latent:
Sed nunc, ô, lætare velut revocatus ab orco,
Crispe, doloris adest nam medicina tui.
En redit in thalamos tibi rursus amabilis uxor
Casta puella, pia, & moribus aucta bonis.
Conveniunt paribus non rarò nomina rebus, (bet
Nec falsò, namq; hæc nomen & omen hæc
Margaris est orbe, & candore, & ponere rerum
Quæ culmen precij principiumq; tenet.
Illa tibi summus sponso thesaurus habenda est,
De colloq; velut pendeat Inda tuo.
Purpurat ora rubor, lucem pinguntq; genarum,
Candida sanguineis lilia mixta rolis.
Illius in lingua lepor est, & gratia suavis,
Quam docuit facilem Mater honesta loqui.

Neminis

Neminis obtreſcat famam, non improba rixas
Inferit, aut lædit viq̃ doloq̃ bonos,
Sermonesq̃ suos didicit frenare canoros,
Commemoranda refert, & reticenda tacet,
Illa ſedens tenui deducit ſtamina filo,
Atq̃ domus propriæ ritè gubernat opus,
Non comedit panem ſegnīs, ſed ſedula quærit,
Vnde operis veniant commoda mille ſui,
Sublevat ærumnis preſſos, ſuccurrit egenis,
Talis erit, qualis ſedula mater erat,
Egregiè inſtituit teneram pia cura parentum,
Imbuit & veri cognitione Dei,
Hinc pietatis adhuc ſincero flagrat amore,
Et rectæ fidei congrua vita manet,
Sermo index animi, cultusq̃ pudicus, & omnis
Actio, ſint mores quàm ſine labe, docent,
Virginis & aram, poſt fata utriusq̃ parentis,
Qui gererent, frater fratris & uxor, erant,
Vnde bonos didicit mores, vitamq̃ pudicam,
Artesq̃, ætati quæ peperere decus,
Sponſe, quid huic ſponſæ tantis virtutibus auctæ
Anteferes? quid ea nobiliusve petes?
Ecce tibi Nymphæ violas & lilia carpunt,
Serta puellari texta manuq̃ ferunt,
Accipe, & acceptis tua tempora cinge coronis,
Exhilarentq̃ animum talia dona tuum.
Et tu

Et tu sponsa, decus pompæ, comitumq; tuarum,
Sparge Rosas, placitum lætaq; inito torum.
Nam benè iungèris præstanti nupta marito,
Qui venit in thalamum dignus amore tuum.
Omnes te dicent felicem coniuge tali,
Optaret qualem quæq; puella sibi.
Divino confide datum tibi munere sponsum
Cura Dei nam dat provida cuiq; suum:
Artibus ingenuis hîc est excultus, ut inter
Laudandos meritò surgat honore viros.
Hîc ubi Leucoreos Albis propè præterit hortos,
Templa Melanchtoniæ stant ubi clara scholæ:
Tempora multa dedit studijs ita mitibus, ut nunc
Doctrinæ mores convenienter eant.
Vt felix nectat numeris bona verba venustis,
Facundoq; graves fundat ab ore sonos.
Promptus ut ingenio naturæ ostendere vires,
Et, soleat, facili scandere ad astra via,
Vtq; vices rerum, ac obitus speculetur, & ortus,
Nec non signifero solis in orbe gradus.
Vtq; simul quærat causas, violentia tanta
Vnde sit AEolijs fratribus, atq; mari. (dent,
Nubibus unde cavis veniat, quòd fulgere splens
Quare cum pluvijs fulmina missa cadant.
Quid Cancer terris, & quid Capricorne mineris,
Quas habeat vires Amphora, quasve bilanx.

B

Sic stu

Sic studijs cultus, meditans quæ semita vitæ,
Grata Deo, potius nunc adeunda foret,
(Ne sibi commissum frustra esset fortè talentum,
Et raperet nomen nigra favilla bonum,
Aut, non immeritò, quondam veniente senecta,
Ieiunum premeret mortis Alumna fames.)
Vel tolerasse iugum legit sibi spontè scholarum,
Moribus & pueros erudisse bonis,
Vel coetum informare pium, sacra scripta docens
Nominis ad laudem, noticiamq; Dei. (do,
Sed superis aliud visum est: Quia ad illa paratum
Traxere ad patrij mitia iura fori.
Nunc benè de multis illi est ubi cura mereri,
Et laudi, & decori, ciuibus esse suis;
Talem igitur digno complectere amore Maritum,
Et venerare; caput debet is esse tuum.
Illius es de carne viri desumta virago,
Plus quàm dimidium pectoris ille tui est,
Tali coniugio cum sis modò digna reperta,
In tali, felix sisq; futura viro;
Sponsa tuo certes cum sponso in amore libenter,
Et tibi conveniens discito ferre iugum.
Nupta nova, imperioq; toroq; assuesce iugali,
Coniugij leue fit, cum benè fertur, onus,
Supplicis en ritu ad sacras huic sifteris aras,
Ipsa tuo supplex iungeris ecce viro.

Præbeat

Præbeat ut tibi se mitem, facilem atq; benignū,
Parcere supplicibus nam sacra iura iubent.
Subijce te imperio dilecti coniugis ergò:
Obsequio poteris flectere sæpè virum.
Nobile *MARGARIDOS* nomen virtutibus imple,
Quodq; Deo visum est, consule *SPONSA* boni.
Lenit amariciem, & reddit patientia dulcem,
Sed melius præstant hoc pia vota tamen:
Coniugij ærumnas quæ tunc minuūtq; leuantq;
Cum fiunt crebrò, & non dubitante fide.

Quod superest: thalami custosq; iugalis, et autor,
Summe Deus, te nunc supplice voce rogo:
Ut sacra coniugij fortunes fœdera lecti,
Sufficias vires coniugibusq; novis.
Fac patris & nati spirans è pectore flamma,
Nectat ut illorum flamine corda suo,
Vrat amor concors, spiret mens una duobus,
Sint unum in vero nuptaq; masq; Deo.
Fac, illis tribuas longa & felicia vitæ
Tempora, da valeant, sint hilaresq; diu.
Da sobolem ut generent, & pignora dulcis amor
Natorum natos ut videantq; domi. (ris,
Qui referunt caros ore ingenioq; parentes,
Qui sancta maneant in pietate patrum.
Arcebit sævum tua dextera *CHRISTE* Draconem,
A thalamis castis, coniugioq; pio.

Ipsē tua dextra quos omni à clade tueris,
Hos neq̃ fraus, neq̃ vis lædere sæva potest.
Et nihil est tutum, nisi quod tua dextra tuetur,
Teq̃ tuente, potest triste venire nihil.
Mænia, templa, scholæ privata & publica, nobis
Omnia sunt tantùm numine salua tuo.

F I N I S.

ALIA, SED BREVI
OR, GRATVLATIO.

IN conchis veluti cœlesti rore marinis
Nascitur æstiuâ lucida gemma, die.
MARGARIS huic nomen depellens quæq̃ ves
Cordibus infectis si datur antidoton: (nena,
Sic Euangelium ros est cœlestis, in imis
Vnio pectoribus nascitur vnde sacer.
AËstu qui *LEGIS* sitiens amplectitur illum
Concipit in tristi gaudia corde nova,
Et quamvis fuerit sævis agitata procellis
Gemma, magis crescit purior illa tamen:
Sic lux, atq̃ fides, dilectio, gaudia, vita
Sub crucis accipiunt robora firma proba.
Hinc alijs spretis, quæ *CHRISTVS* vendere suas
Thesaurus potior Margaris esto pijs. (det,
Tollere quem nequeunt fures, ærugo, nec ignis,
Tutus is in *MVNDI* colluvione manet.
En,

En, tua *MARGARIDOS* cum dilectissima sponse
Omine nunc nomen conveniente gerat: (sa
Suavius hoc ipso lætèris nomine Sponse,
Cum qua coniugij fœdera firma feris.
Namq̃ venit contra medicina libidinis æstus,
MARGARIS ut tremulo toxica corde fugat.
Nulla potest tibi tempestas contingere, quã non
Subleuet hæc facili *MARGARIS* arte pia.
O te felicem, cui talis ducitur uxor,
Tristibus & lætis casibus una manens.
Gratulor ergò tibi, mihi iuncte Sororis amore,
MARGARIDOS thalami vincla liganda die.
Et precor autorem casti, quod uterq̃ subitis
Coniugij, præses sit, maneatq̃ diu.
Nefuriæ diræ, nec nausea vana, nec œstrum,
In vestro moveant iurgia sæua toro.
Sed sociatus amor prolem progignat vtriq̃,
Qua *CHRISTO* crescat sancta Sarepta Deo.
Vnio sic placitus post seros *MARGARIS* annos
Vni, ceu primo flore, placebit anus.

A M E N.

M. Georgius Roth,
Sponsi Affinis.

ACROSTICHS ONO

μασικη, QUAM DILECTAE SVAE SPON-
sæ lussit sponsus.



M	A	M	M
S	S	S	S
A	A	A	A
P	P	R	R
R	R	R	R
E	E	E	E
G	G	M	G
C	C	B	C
A	A	H	A
H	H	H	H
R	R	R	R
T	T	T	T
I	I	I	I
I	I	I	I
S	S	S	S
N	N	N	N

VOTVM

VOTVM SPONSI

Vt sint nostra tori felicia foedera Casti,
Quæ DVCE te fVbll, Chrliste benigne,
preCor.

Der Braut Wundsch.

Herr Gott / Ds Ehestants St Jffter b Jst /
Bh Vt Vns / Vn D ste Vr Des Sathans
Jst.

SYMBOLVM SPONSI.

CHRISTVS CYNOSVRA SALVTIS,

Quod sic vertit:

Sola mihi ad caeli CHRISTVS CYNOSVRA SIT
AXEM,

Huius ero viuus, mortuus huius ero.

ALIVD.

Sponse, decus patriæ, generis quoq; gloria nostri,
Corde nouas tædas gratulor ipse tibi.

Gratulor atq; tuæ Sponsæ: Deus optimus assit

His vestris ceptis, vt benè proueniant.

Vos Deus incolumes multos conseruet in annos.

Et vestrum ditet prolis amore torum.

Chrliste homo, Chrliste Deus, casti defensor amoris,

Hæc Sponsis felix sit noua tæda, precor.

Thomas Wormlitzius iunior

Cognato suo, Sponso, fecit.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be written in a historical script, possibly Latin or German.



№ 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 /


V B 17

M





15
74



EPITHALAMION

DOCTISSI-
MO VIRO D. AN-
DREAE KRAVS, REI-
PVBlicAE SERVESTANAE
NOTARIO PVBLICO, ET HO-
nestissimae virgini MARGARETHAE,
prudentissimi viri D. AMBROSII
SPECHT, pie memoriae, filiae, Servestae
celebrantibus nuptias 27 die Iu-
lij, Anno 1579.

scriptum à

IOACHIMO VVORMLITZIO
Scholae Servestanae ad S. Nicolaum
Correctore.



VITEBERGAE
Excusum Typis Simonis Gronenbergii.